

nostro quidem oraculo שם יהוה קרוב, *Nomen Dei propinquum* fieri dicitur, in primis *per mirabilia Dei*, ac postea in vers. 3, *per judicia divina*, ad quam explicationem ipse quoque Servator noster respexit Joh. V, 17, & Apostolus, tam Act. XIV, 17, quam Cap. XVII, 26, 27, 28, at enim vero, hoc non fieri in sensu exclusivo, sed tantummodo ἐξοχμῶ & connotativo, illud, ex Sect. I, satis, ut opinor, perspicuum est. Atque hoc ipsum tam manifestum est, ut & illi, qui alias dubitant de priore, a nobis supra constituta, parte appropinquationis Nominis divini, hoc tamen haud difficulter concedant, quod manifestationes singulares divinæ præsentia, per beneficia singularia, aut per poenas singulares, in primis illa, quæ sese exerit, in gratiosa totius S. S. Trinitatis inhabitatione, per fidem, præsupponat ipsius quoque Dei appropinquationem aliam, quam, quæ vulgo per vocabulum omnipræsentia divinæ exprimitur, propterea, quod locus ille, qui occurrit Joh. XIV, 23, item Eph. III, 17, & similia alia, illud postulent.

## §. II.

Considerari potest hæc appropinquatio Nominis divini, secundum utramque partem, hæcenus explicatam, nunc *principiative*, quatenus a Deo proficiscitur, quando Deus dicitur ad homines, dicto utroque modo, appropinquare; nunc *subjective & terminative*, quatenus in hominem redundat, & ab eo non solum recipitur, sed & animadvertitur ac simul celebratur. Hinc non male distinguitur *in activam & passivam*, quam distinguendi rationem ipse quoque textus noster confirmat, quando primum Deus, seu Nomen Dei, dicitur, se appropinquare hominibus fidelibus in ecclesia, deinde vero & hi dicuntur Deo appropinquari, ex mirabilibus Dei, & judiciis divinis, appropinquationem Nominis divini animadvertentes, agnoscentes & collaudantes. Confirmatur

tur